Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinqve Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

exiuit ad monte[m] Olinaru[m] Articulus VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-47044

Visual Library

Deindè præmonuit eos ad patientiam. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret. Quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*
Ioan. 13. 15. *Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt.*
Ioan. 16. *Abſque ſynagogis facient vos, ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. Amen amen dico vobis: plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Hæc locutus ſum vobis,* id eſt, ad hunc finem, *vt pacem in me habeatis,* id eſt, non quæratis eam in mundo, quia ibi nihil niſi tribulationem habebitis: ſed in tribulatione veſtra quæratis pacem in me.
Ioan. 17. *In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite ego vici mundum.*

Poſt hæc ſubleuatis oculis in cælum, orauit pro ſe, dehinc pro diſcipulis, & vltimo pro omnibus qui credituri erant in eum. Oportet nos hæc relinquere, quia tam multa ſunt & copioſa ad explanandum, vt ſi his vellemus immorari, non ſufficeret tempus ad paſſionem, vel incipiendam. Sunt etiam ſpecialia documenta tot ibi, vt vix tribus verbis prolatis, doctrina dulciſſima inueniatur. In generali tamen pro toto ſermone hoc poſſumus accipere documentum, quod triſtes & tentati, ſunt ſemper ſermonibus conſolatorijs & dulcibus fouendi, quia ſufficit eis propria triſtitia, quæ non eſt exaggeranda, ſed lenienda.

Triſtes quibus modis ſint leniendi.

IESVS EXIVIT AD MONTEM OLIVARUM. Articulus VIII.

Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22.

HYmno dicto: id eſt, gratijs, & laude Deo Patri exhibitis, *Egreſſus eſt Ieſus ſecundùm conſuetudinem in montem Oliuarum,* quia conſueuit hac via tranſire in Bethaniam: & quia ſæpè pernoctauit in monte cauſa orationis in horto quodam, ad quem etiam modo exiuit, vt ſcilicet Iudas poſſit eum reperire in tali loco ſibi optimè noto, & à turbis ſeparato, vbi poſſit capi ſine tumultu populi: In quo oſtenditur, quam voluntariè pati voluit Dominus. *Secuti ſunt autem eum diſcipuli eius. Ibi dixit Ieſus ad eos: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in hac nocte.*
Zacha. 13. *Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem & diſpergentur oues gregis.* Petrus hæc audiens, *dixit: Et ſi omnes ſcandalizati in te fuerint, ego nunquam ſcandalizabor. Similiter & omnes dixerunt.* Dominus reſpondit Petro: *Antequam gallus cantet bis, ter me negabis. Petrus dixit: Et ſi oportuerit me mori tecum, ego te non negabo, Ego paratus ſum tecum ire in carcerem, & in mortem.* Petrus dixit hæc ex corde, & ita ſibi pro tunc videbatur: ſed poſt aliter euenit. Ipſe nimis præſumebat de ſeipſo, quia nondum expertus erat propriam fragilitatem, ideo permiſit eum Dominus cadere poſtea, vt diſceret quid eſſet. Habemus hic bonum documentum, vt ad patiendum, ſiue laborandum, ſiue operandum offeramus nos ſpontaneos pro honore Dei, ſicut Dominus fecit: ſed tamen cum humilitate, vt non confidamus in nobis ipſis, ſed in ſola miſeratione & confortatione diuina, ne præſumentes cadamus, ſicut accidit Petrus.

Quanta cum humilitate reſignare & efficere nos Deo ad ipſius in nobis perficiendũ beneplacitum debeamus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN